

V E T E R A .

109

Anno 1699. In hortis Principum Stroziorum ad Thermas Diocletianas statuae nonnullae marmoreae, quae nunc in iisdem hortis visuntur. Thermarum fortasse faciem ornaverant, siquidem ex ea parte aditus ad illas patuerat.

Ad annum 1700. In Coenobii Monialium Spiritus Sancti fundamentis, quae antiquo Fori Trajani solo nihilo inferiora erant, plura columnarum fragmenta ex Thebaico lapide candidis guttis intertincto, quorum aliqua paucis ante annis prope Columnam Trajanam visebantur. Hae utique columnae nihil dubitandum, quin Trajanæ Porticûs fuerint. Quare nunc illarum magnitudinem non fuisse tantam compertum est, quantam, ut narrat Famianus Nardini, falso aliqui dictitabant. Ibidem tessellae permultae, atque crustae ex marmore Numidico (*giallo antico*), quibus Porticûs pavementum stratum fuisse, non temere suspicamur.

Anno 1701. Inter viam Appiam, antiquumque Lanuvium, ubi Antonini Pii Villae ad hanc diem supersunt vestigia, ipsius Antonini Pii, nec non M. Aurelii, Commodi, & Annii Veri Protomae, & hae quidem postremae duae puerili facie. Statuae insuper duae, nimirum Philosophi, & Fauni; ibidemque Zeno pariter Philosophus ex marmore summo artificio factus rudi simplicique pallio amictus, magna corporis parte nudus, dexterâ volumen tenens. Haec omnia nunc in Museo Capitolino sunt posita.

Anno 1702. in Clivo Montis Esquilini, per quem ad Turchinarum Coenobium ascenditur, statuae duae
con-